

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Ernst Johann Friedrich Mantzel

**Programma, Qvo Rector Academiæ Rostochiensis, Ern. Joh. Frid. Mantzel,
Philos. & Juris Doctor ... Ad Unius Hominis Jesu Christi, Omnium Hominum
Collapsas Res sua Sanctissima Passione & Morte restituentis Salutarem
Memoriam ... Cives Academicos ... hortatur ...**

Rostochii: Typis Io. Iacob. Adleri, [1732?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017081>

Druck Freier  Zugang





[http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn1004017081/phys_0001](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1004017081/phys_0001)

DFG

T. 512.

1732. Fasten.

M-1256.^{216.}

24. Febr. 1732.

PROGRAMMA,
QVO
RECTOR ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS,
ERN. JOH. FRID. MANTZEL,
PHILOS. & JURIS DOCTOR, ATQUE INST. PROF.
ORDIN. H.T. FACULT. JURIDICÆ DECANUS

AD
**UNIUS HOMINIS
JESU CHRISTI,**
Omnium Hominum Collapsas RES
sua Sanctissima PASSIONE &
MORTE RESTITUENTIS

Salutarem Memoriam,
**OMNES OMNIUM ORDINUM CIVES
ACADEMICOS HONORATISSIMOS**

Officio jubente, sedulus hortatur.

Simulque,

Ut ad Orcum releganda ORGIA, sive FESTA
BACHICA, tanquam NOCTES PECCATI &
INJUSTITIÆ, decenti Sanctimonia, Sum-
maque Accuratione vitentur,
Studioſus Svaſor eſt.

ROSTOCHII,
Typis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD.
Typographi.

M. 1256 216



IN PASSIONE DOMINI VERA SALUS
HOMINI.
PECCATI NÓCTEM FUGITAT, EAN-
DEM QVI RECOGITAT.

SAt recte , si sat scite Ennius , sui ævi
gravis, utut incomptus Poeta, & anser inter
Olores, cecinit, Fabii Maximi Diætatoris, deinde,
quod hostem mora fregisset, Cunctatoris nomine
insigniti , heroam Virtutem , remque felicissime gestam de-
scribens :

*Unus Homo nobis cunctando restituit rem :
Non ponebat enim rumores ante salutem.
Quos versiculos Maro, Ennio multa debens, ita ex parte re-
petit*

----- Tu Máximus ille es
Unus, qui nobis cunctando restituist rem.
Actum erat de rebus Romanis , Hannibale Poeno victricia
armâ per Italiam circumferente , exercituque alias Rerum
Dominorum , gentisque togatæ , proh pudor ! ad interneci-
onem cæso, Mox conclamandum ; Fuimus Romulidæ, ste-
tit

tit Capitolium , & ingens gloria Quiritum ; Sed vocato ad ultionem foedissimæ clavis Cannenfis Fabio, Fortunæ volubilis errores in melius corrigebantur : Hic enim, licet rumore Vulgi ob cunctationem , & quod hostem primo impetu non reprimeret, falso traductus , eodem posthabito, imo etiam laudem famæ incertæ ante salutem Victoriae non captans ; Sed potius temporis inserviendum ratus , hostemque ad Capuam luxuria diffluentem & effeminatum tandem aliquando adortus. Victorque Victoris evadens , rem patriæ penitus collapsam *Unus* glorioſiſſime restituebat. Hoc tam splendidum facinus , quo posteri Virtutem imitarentur , Ennius ipſe pater, tunc forte impotens ad arma dicenda proſiliens, marcido quidem ſylo , ſed tamen brevitate ſe commendante , ac multa paucis dicente , proponit. Mittimus hæc Romana & tralatitia . Quid interim impedit , quo minus iſtud Poëtae veteris effatum unico verbo mutato , nam cunctatio hic locum non invenit , noſtrum faciemus ? dicendo :

Unus Homo nobis patiendo reſtituit rem.

Salvatorem noſtrum unicum , JESUM CHRISTUM innuo, præter quem nulla ſalus eſt ſuperiſtes , in qua nobis in æternum bene ſit. Gravifſimo lapsu ruerat miſellum genus humānum. Satanæ atrocibus infidiis Protoplaſti felicitate paradiſiaca , imo & coeleſti exciderant. Culpam poena premebat comes , mors atque damnatio. Nullo diſcrimine habito quoslibet posterorum non tantum una manebat nox , & cunctis calcanda ſemel erat via lethi ; ſed etiam horrendum diētu ! poenæ nunquam finem habituare , infernaliſque barathri cruciatus perpetui , juſto Jehovah Juſtice ſententiam prædicendo premulgante , imminebant. Verum enim vero, audiamus Apoſtolum Icquentem : Uti per *Unius Hominiſ* peccatum mors dominata eſt per illum *unum* ; multo magis illi qui acceperunt plenitudinem gratiæ & donorum ad Juſtitiā , dominabuntur in vita per *Unum JESUM CHRISTUM*. Uti igitur per *Unius* peccatum condenratio omnium hominum venit : ita etiam per *Unius* Juſticiam Juſtificatio vitæ

(2)

venit

venit super omnes homines: Nam uti per *Unius Hominis* inobedientiam multi peccatores facti sunt, ita etiam *Unius* obedientia multi justi. (Rom. III, 17. sqq. Ut *Unius* peccato multi sunt mortui, ita multo magis DEI gratia & donum multis contigit per JESUM CHRISTUM, *Unum Hominem* in gratia (Rom. V, 15.) Ut per *Unum Hominem* mors; ita per *Unum Hominem* Resurrectio venit (1. Cor. XV, 21. Sic etiam *Unicus Homo* J. C. est Mediator inter DEUM & Homines. (1. Tim. II, 5.) Qui sine adjutore & adjutrice (valeant indiscreti cultores Mariæ, ipsam auxiliares manus tanto operi adhibuisse perhibentes) torcular *Solus* calcavit, Jes. LXIII, 3. de quo Cajaphas uti Bileami asina, inscius oportuna loquens, vera fatebatur & fabatur: Præstare *Unum Hominem* interimi, quam totam gentem interire (Joh. XI, 50.) Hic itaque *Unus Homo*, & idem Homo - DEUS in carne manifestatus, & in humilitate in terris circumambulans, rumores salutis Homini- num restituendæ non antetulit. Neque auram Encomia- starum suorum, vera tamen profitentium, captans, cum ipsum ut maximum Prophetam, Doctorem eloquentissimum à DEO missum, & quem non. deprædicarent; Neque ca- villationes calumniatorum, ipsum peccatorum socium, sedi- tiosum, Cæsari censem denegantem, blasphemum, venefi- cumque pronunciantum, tanti faciens, ut his obicem sibi poni pateretur in divino proposito desperatas res humanas restaurandi. Hic Dictator Maximus, idemque perpetuus, bello pro nobis agendo & patiendo felicissime confecto, & hostibus triumphatis, universum genus mortalium gratia, gloria & æterna salute donavit. Hunc Restitutorem amissorum Orbis Christianus debita gratitudine merito veneratur. Sic optime cana atque veneranda Antiquitas, quam primi- tivam Ecclesiam vocant, posteritati consuluit Festa anniver- saria instituens, quibus insignia beneficia nostri Victoriosi Sospitatoris in nos perditos, & æternæ damnationi addictos collata, non secus ac in Sabbathorum sacris conventibus, memori & grata mente recoleremus. Verita, ne his sole- mnibus

minibus intermissis , salutaris recordatio ad æternam nostram beatitudinem adeo mirifice antea&torum , spongia oblivionis tandem oblitteraretur. Nec vana fuit illa præcavendo : Et enim si hodie , posthabita observatione annuorum festorum viveremus , ah ! quanta inscitia , & turpis barbaries , alias etiam coecas hominum , maxime rudiis plebeculae mentes occoecans , ubique & apud plerosque dominaretur. Sed grati merito agnoscimus , instinctu divino adeo prudenter à Majoribus constitutum esse , ut hæc sacra in sancta DEI Ecclesia , nunquam intermorituræ *αναμνήσεως* ergo perpetim vigerent , iisque certi dies dicarentur. Cum vero recensio Passionis Dominicæ , quam Patres Historiam Historiarum vocitare sverunt , latissimum campum aperiat , ita , ut paucis diebus ingens illud spatium cursu emetiri non detur : Rerumque amplitudo , Majestas & dignitas arctis cancellis includi nequeat , provida cura superiorum seculorum , (cuius , etiam acutissimis antiquitatum indagatoribus non liquet) factum est : Ut huic admirandæ , diffusæ , & ubertate materiarum abundantis rei , in salutem omnium hominum sic gestæ , rite recolendæ , tempus Quadragesimale , sex hebdomadibus constans , quarum hodie coepta sit pia parasceve , destinetur : quo in publicis sanctis congressionibus , domique singula capita ferventiori studio , diutinaque attenta religione in sobrietate atque jejuniis tractari possint. Est sane hæc historia , ab Apostolo velut in compendio Verbum de Cruce dicta (I. Cor. I, 18.) inexhaustus fons , & profundissimus Oceanus mysteriorum , hic quot verba tot pondera. En hic *Theologiam Catechetica*m , in thesi & fundamento fidei informantem . *Acroamaticam* , acutissima ingenia excentem . *Moralem* , rectum tramitem & viam regiam Virtutum Christianarum quovis modo ostendentem . Sistit se hic *Pansophia* : Gentium quippe Doctor , alias eruditissimus , se nihil seire fatetur , præter JESUM crucifixum . Ut & *Pampilia* , cum nemo majore amore flagret , quam qui Vitam pro amicis , imo pro hostibus amittit (Joh. XV, 13. Rom. V, 10.) suos-

que ad finem usque diligit. (Joh. XIII, 1.) Nec non *Panseria*: cum in ingenti virtute incedens Heros hostes die zeli & iræ suæ contrivit. (Jes. LXIII.) Hic Vir Summa integritate & innocentia nobis se hodegum præbet; adeo, ut ejus vita sanctissima nostræ sit perpetua regula: Ipsius passio nostra institutio, ejus patientia nostra sapientia, quam summo jure Gymnasium Fidei Salvificæ, & Virtutum Christianos apprime condecentium, quis appellaverit. Ast conferamus nos in penetralia, & dicta miscellaneorum instar, Evangelistarum Harmoniam secuti, uti in technothecis fieri solet, perlustremus. Magnatum publice coenantium tricliniis non raro se spectatores immiscent: Ingrediamur videndi cupidi, aspiciamus Hospitem largissimum, agni paschalis comeditione unum diem anticipantem, cum in parasceve festi sibi mors immineret. Intueamur azymis vescentem, quo ut Legis finis ipse Agnus Paschalis Novi Testamenti, Mosaicam Levitici cultus abrogaret, Veteresque ritus honeste sepeliret. Conspiciamus se inungi permittentem, ut se vere Christum, non tantum in conceptione, sed etiam brevi ante passionem, uti deinde in sepulchro exhiberet. Stupescamus viso Dominino Dominantium ut servo servorum de coena surgente, præcinctorio amicto, genu nixo, discipulis *προδοσίᾳ*, vel ut Iouqui amant, pedilatio, servitium præstante. Miremur abjectam humilitatem illius, quem omnes Angeli coelestes adorant. Intersimus animis præsentibus institutioni Sacro-Sanctæ Synaxeos. Perpendamus intimiore sensu sublime hoc, & ingenia excedens Sacramentum. Audiamus Oratorem vere Chrysostomum, finito sermone Evcharistico apobaterion, ut Scaliger effert, vel si mavis cantionem cygneam stylo gravi & suavi fundentem. Quid non exinde prædictionum, parænesium, præmunitionum, solaminumque observabimus. En ecce, quam intenti ora auditores teneant, & orationi huic propempticæ inhinent. A quibus etiam gratissimus ille hospes miro ipsorum amore flagrans, vel jam edito celeusmate: *Surgamus & hinc discedamus*, adeo non divelli poterat, ut potius

potius valedictoria verba vel inter ipsos stans, vel in via, ulterius prolongaret. Comites simus itineris antitypo Davidis torrentem Kidron pervadanti vel pervadenti. Cernamus porro cernuum in monte Oliveti orantem, agonizantem, ab Angelo tamen confortatum veri sanguinis thrombos & grumos exsudantem. Horrescamus, atque nostri causa luctantem pectora contuso & largis lacrimis veneremur. Eminus conspiciamus Salvatorem insontem a scelestissimo proditore propugioso osculo exceptum, militum malitia abruptum, interim tamen eosdem unico verbo *Sum* prosterrentem. Præbebit se videndum mirum mansuetudinis exemplar: Chirurgi scilicet aure cassum militem sanantis, vix imitabile. Sic patientiam omnipotentis, & omnipotentiam patientis attoniti suspiciamus. Hinc tardas hostiles prælucentes sequamur. Ducent nos Captivi, vinculis constricti, comites ad Hannam & Cajapham Pontifices. Suspiciamus hic in convertendo Petro ejusdem mirandam comitatem, interrogati rotundam responsonem. Detestemur colaphos sacrosanctæ faciei infictos, corrasa falsa testimonia, ac sententiam patrum & fratrum ignorantia, vel potius malitia, in Synedrio magno graculorum more sibi assidentium & concrocitantium: *Hic reus mortem promeruit.* Hæc sunt acta funesta noctis, insequentium die lethali truculentissimarum passionum prodromes. Pergamus cum sponsore nostro arctius vineto ad Prætorium Pilati, Aulamque Herodis. Percipiamus Actorum feralem boatum & rugitum, plenis buccis suum *Crucifige* repetentium. Judicis Inquisitionem, Innocentis apologiam, empæctæ Antipæ sannas, JESUM ut reum sordidatum; mox non sine omni candidatum. Spectatores simus atrocissimæ, & truculentissimæ Flagellationis sacratissimi corporis Dominici: fœdissimæ vere Regis, in scenica petulantia pro pseudo-Rege habitu illusionis, conspuitionis, obnuptionis, coronationis. Sit nobis conspicuus Amicus noster candidus & rubicundus, in attrita purpurea chlamyde miserrimo cum lemmate: *Ecce Homo*, apparens. Dehinc

iii.

individui adhæreamus lateri beluina clamoris iteratione ad supplicium crucis postulati , nefario latroni æquiparati , ac tandem morti addicti.

Tremiscentes sequamur Salvatorem nostri causa Hierosolymis ad funestum Golgathæum montem protractum , in medio latronum crucem suam , furciferorum instar , Romano more , portantem , inter portandum præ lasitudine subsidentem , fine dubio fustibus plagiisque adactum , Vestibus spoliatum , amare potatum , vulneratum , cruci affixum . (Aspice mortalis , pro te datur hostia talis !) Auditores simus Oratoris de Crucis cathedra dulcisonum , & ut ita dicam amorisfluum Heptalogum proponentis , à Spectatoribus insulantibus , imo & impio latrone convitiis false proscissi . Introspiciamus fontem salutarem vulneris , sævitia militis lancea vi adacta , lateri ipsius inficti . Observemus miracula mortem DEI · Hominis consequentia . Associemur bigæ pollinætorum , triga sanctarum mulierum teste , Corpus Domini ligno crucis dementium , pretiose in sepulchro splendido , ad hoc triste ministerium donato , componentium , idque honeste inunguentum . Tandem abiturientes damnemus viperas nondum sibilare desistentes , demortuumque Principem vittæ lingua trifulca traducentes , & excubias sepulchrales emendicantes , ac cippum obsignatum suspirando relinquamus . Hic tantum est quasi conspectus longissimæ historiæ , hæc sunt quasi lemmata . Sic brevibus lineis reputantur acta diei adeo lugubris ut antea noctis atrocissimæ . His omnibus quantum fieri potest , rite pensitandis , uti dictum tempus Quadragesimale , in cuius limine stamus , dedicatum est . Et laudandum sane est piæ antiquitatis institutum , magnificimus merito priscorum temporum devotionem , nostram hodie viventium multis parasangis antevertentem . Sincerus cultus in hypocrisie , hæc in superstitionem non tantum , sed etiam in vitia alia passim degeneravit . Quid sibi vult Jejunium Quadragesimale Pontificiorum spuriū Carniprivium dictum ? Quid est subdole carnibus , ovis , lacte , caseo , butyro abstinere ,

abstinere, & piscibus delicatissimis, quasi vero non essent carnei, (I. Cor. XV, 39.) laute vesci? qua de re alii agunt pluribus. Jejunia quidem ad præparationem animæ orantis & pœnitentis maxime conducentia, nulli improbamus, utpote in S. Scriptura commendata; attamen pseudo-meritoria ista, uti in Papatu, præsertim in Quadragesimâ observantur, penitus despicimus. Instans dies, prisco nomine Mercurii dictus, Caput jejunii ibidem audit, quo jure ipsi viderint. Alias etiam Cinerum vocatur. Varios tunc adhiberi solitos ritus Historiæ Eccl. Auctores indicant; sed & ii in superstitionem desiverunt: ergo nec apud nos magni fiunt, & cum ceteris erroribus transeant.

Perendinus dies merito inter nefastos numerandus, & infausto delendoque nomine Fast-Nacht dictus, speciem forte religionis præbuit. Ut, si recte memini, quando antiquitus in memoriam Crucifixi Redemptoris panes crucis figura pisti & comesti sunt, quod & hodieque apud nos in usu quidem est, paucissimis vero cur id fiat, cognitum. Virgas etiam recordationi iisdem cæsi inserviisse, atque invicem missas crediderim; sed isto die petulantiae & impietatis instrumenta sunt. Hac septimana, imprimis sub ejus initium, quasi in *Nocte peccatorum*, regnat ferme ubique effrenata licentia, luxuria: regnant varia nefandorum vitiorum genera & comedationibus, compotationibus, ebrietate progenita. Spurcissima Gentilium lipsana, foeda Bacchanalia, urenda filix, proh nefas! inter Christianos renata sunt. Bacchi Orgia, sive festa primum in Ægypto celebrata, mobilitate vigentia, mox in Græciam penetrarunt, inde in Italiam, & sic porro. Hæc alias Liberalia, Lyæia, Dionysia, & cum quovis triennio in iis insaniretur, Trieterica nominata, nefanda lascivia, utroque sexu omnem pudorem exuente, sacra erant. Putasses, exorta luce Evangelii, ac Ethnicismo ex plurimis regionibus pulso, has diabolicas & foetidas spissæ noctis tædas simul extintas esse; sed uti in proverbio est; Ubi DEus Tempulum struit, ibi Satanas suum delubrum adstruit, sic inter

)(

Christia-

Christianos, malus Dæmon suum morem Bacchicum servare natus est. Quid non mortalia pectora coegerit & cogit turpis- simum cacoethes. Hoc malum, quo non pestilentius ullum, instar gangrenæ serpens, imo pernicissimo volatu, perni- ciosissime retro ex Italia ruens, Germaniam aliaque Regna, Republicas, Aulas, Urbes, imo etiam pagos inficit. Hinc ubique hoc infelix lolium dominatur. Quæ non præbent spectacula sic dicta Carnevalia, plurimis (ut qui de his Sa- tanæ & tenebrarum operibus ex professo, uti dicitur, scripse- re, recenserent,) exitialia & lethalia, larvatos Faunos, Satyros, Silenos, Bacchos, in scenam producentia. Currunt lymphati similes, hirsuti, cornuti, nasuti &c. Sic luditur, promi- scue Veneri litatur, Circes poculo alias sani insani in bestias mutantur, sic ἀσελγῶς & ἀσώτως vivitur. Hæc est bella præ- paratio, pœnitentiæ, jejunii & meditationibus pliis viam sternens. Tandem etiam ad nos, vicinasque oras; licet non in tanto excessu, detestandæ & execrandæ Noctis Bacchicæ vitia proruperunt. Iisdem passim, præsertim in hac nostra Megapoli, cum immedicable vulnus non aliter quam ense sanari posset, severissimis mandatis contraitum est, ne pars siacera traheretur. Interim, ut fieri solet, quod utut obtura- tis scatebris, aqua tamen hac & illac ebulliat: Sic latis licet legibus, vetita qua data porta ruunt. Josias noster redivi- vus, GUSTAVUM ADOLPHUM, Gloriosæ memoriarum Du- cem Mecklenburgicum innuo, uti ad eradicanda in hac sua provincia, enormia vitia, scandalorumque & superstitionum genera natus fuit, jam anno 1661. sub initium sui Regimi- nis in ipso juvenæ flore, laudabili edicto cavit, ne Baccha- nalia viverentur: refragantibus mulcta decem imperialium irrogata, & qui non haberet in ære, luat in corpore. Qualia mandata postmodum repetita leguntur. Prouti & severa Ampl. Senatus edita prostant. In hac nostra perantiqua Aca- demia quotannis hac ipsa Dominica ex instituto Veteri par- nesis aprime ad Cives dirigitur, quo sibi ab hoc inveterato quidem, sed maxime damnabili malo caveant, cum in- signis

signis Virtus sit Vitium fugere. Attamen nunquam non re-crudescunt sanata vulnera. Ne igitur hæc lues pestifera de-nuo vires sumat, officii ratio postulat, ut ad *Vox Mei!* præ-sens dirigatur adhortatio. Estis Filii Lucis, ambulate in Lu-ce, Vitate Noctem & umbram mortis. Quid vobis cum ca-ligine & Principe tenebrarum. Nox præterit; dies illuxit (Rom. XIII, 12.) Ut estis diei, sic sobrii sitis, ebriis noctu ebriis. (I. Thess. V, 6. sqq.) Nullum est commercium Lucis cum caligine. (2. Cor. VI, 14.) Si avetis Lumine Vitæ frui, Luminis mundi vestigia premite (Joh. IIX, 12.) Si vultis vi-tare acerba multa, & tristes animi cavere morsus, consulite conscientię, parcite sanitati, Studete famæ. Missi huc in spem Patriæ, Patronorum, Parentum, ne eandem frustremi-ni, Vitæ n̄avos fugientes. Quid non malesvada ebrietas designat, quæ non incommoda comedationes pariunt? hinc jurgia, noctivagi tumultus, dedecora vociferationum, pro-vocationes, digladiationes, vulnera, sanitatis corporis & ani-mæ dispendia, ut nihil de male collocatis sumptibus dicam. Quid si crastinum mane revocaverit, quasi per nubem he-sternos, atque nocturnos excentrice nimis ductos circulos, facta infecta optabuntur. Itaque Timete DEUM, vere-a-mini Magistratum. Aretophili plenis velis, Pegaseisque pas-sibus ad Tychopolin & Timiopolin contendite. Memores estote mei pridem editi programmatiſ de Academia Vindi-ce. Vere sui vindex est, inquirens scilicet in annos Acade-micos, temporisque ibidem exacti rationem deinde postulat. Pro scopo Vestro proposito diligentiam adhibete. Otio va-cantes, studiis vacate. Aurifabri peripsemata auri solicite colligunt, asservant. Tempus est auro pretiosius. Cavete ne Vobis ipſis nimis fero occinatis:

Damna fleo rerum; sed plus fleo damna dierum.
Rex poterit rebus succurrere; nemo diebus,

Adhæc novistis: quantas turbas Satanæ, Princeps tenebra-rum per Opera opacæ Noctis Vitiorum, quibusdam lucifu-gis,

gis , Carminum famosorum autoribus obstetricantibus ediderit. Laboretis nobiscum ut innotescat omnibus , quinam sint illi homunciones . Ah ! quomodo uretur illorum conscientia stigmate ferme insanabili . Nesciunt hi , aliorum famam , quæ hisce mortibus & scommatibus nihil laeditur , arrodentes , à Poeta Nigros & cavendos vocari ? Sciant se iram divinam , ni serio ipsos facti hujus atrocis poeniteat , incurrisse , nec se , si nomina eorum innotescant , hoc in suo foro impune laturos .

DEUS T. O. M. tenebras in lucem , Noctemque in diem convertens , convertat hosce , ut sobrii sint ex Vinculis Satanæ . Vos vero Filii Lucis , talia vitia fugientes & excrantes , conservet in splendore solis Justitiae , Nostrumque omnium corda dulci memoria pro nobis passi & mortui Salvatoris in diebus Vitæ & Nocte Mortis recreet , quo ipsi vivamus , ipsi moriamur , æternisque gaudiis in Luce infinitorum honorum & honorum coelestium fruamur .

Editum sub Sigillo Rectoratus Academiæ

Rostochiensis , ipsa Dominica Esto mihi ,
anno æræ Christianæ MDCCXXXII .
die 24. Febr.



signis Virtus sit Vitium fugere. Attamen nunquid crudescunt sanata vulnera. Ne igitur haec lues uno vires sumat, officii ratio postulat, ut ad Vos sens dirigatur adhortatio. Estis Filii Lucis, ambo, Vitate Noctem & umbram mortis. Quid vel ligine & Principe tenebrarum. Nox praeterit; (Rom. XIII, 12.) Ut estis diei, sic sobrii sitis, in ebriis. (I. Thess. V, 6. sqq.) Nullum est commercium caligine. (2. Cor. VI, 14.) Si avetis Luminis Luminis mundi vestigia premite (Joh. IIX, 12.) tare acerba multa, & tristes animi cavere mortuus conscientia, parcite sanitati, Studete famam. Non spem Patriae, Patronorum, Parentum, ne eanderne, Vitae naves fugientes. Quid non malesu designat, quae non incommoda comedationes pa juria, noctivagi tumultus, dedecora vociferat vocationes, digladiationes, vulnera, sanitatis comæ dispendia, ut nihil de male collocatis sumptu. Quid si crastinum mane revocaverit, quasi per sternos, atque nocturnos excentrice nimis duæ facta infecta optabuntur. Itaque Timete DE mini Magistratum. Aretophili plenis velis, Pegafibus ad Tychopolin & Timiopolin contendite estote mei pridem editi programmatis de Academe. Vere sui vindex est, inquirens scilicet in armicos, temporisque ibidem exacti rationem dein. Pro scopo Vestro proposito diligentiam adhibe cantes, studiis vacate. Aurifabri peripsemata colligunt, asservant. Tempus est auro pretiosissime Vobis ipsis nimis fero occinatis:

Damna fleo rerum; sed plus fleo damna d
Rex poterit rebus succurrere; nemo dieb

Adhac novistis: quantas turbas Satanæ, Princrum per Opera opacæ Noctis Vitiorum, quibus



the scale towards document

Patch Reference numbers on UTT

C1 B1 A1 C2 B2 A2 B5 A5 20 18 17 16 11

Serial No. 011

Image Engineering Scan Reference Chart TE63